

Handwritten title or name, possibly "Herrn..."

I

5

N^o 3^d

Zur Bibliothek des Königl. Kollationshofes
Militär- und Artillerie-Regiments

PECCATVM
IN
SPIRITVM SANCTVM

AD
SACRA PENTECOSTES
PIE CELEBRANDA
IN ACADEMIA IENENSI
PROPOSITA
COMMENTATIO
OCTAVA.

IENAE LITTERIS STRAUSSIANIS

igitur
d qua
V, 13.
alphe
vide
uando
m dei
triam
endam
nabet:
repu-
da est,
ndium;
a resi-
odi ra-
patien-
male-

digni-
oria il-
etibus
us hoc
omnia
am per-
ligatis,
primo



PECCATA
IN
SPIRITUM SANCTUM

AD
SACRA SYNODI
IN
COMPLUTURIS

ANNO 1545



DEI GRATIA
ERN. AVG. CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE
MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE HEN-
NEBERGIAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTA RAVENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS

MAGNIFICENTISSIMVS

SPIRITVS SANCTI GRATIAM

PRECATVR

C I V I B V S.

Non solum sociniani; sed alii quoque recentiores tri-
nitatis hostes peruerse sentiunt vti de ipso spiritu
sancto, tanquam tertia essentiae diuinæ persona;
ita etiam de peccato, quod in illum committitur. Inter
eos, qui, proscriptum Arij errorem reuocare ac tueri, im-
pie conati sunt, CHRISTOPHORVS SANDIVS quum iudicaf-
set, patres ecclesiae per *spiritum sanctum*, *Matth. XII, 32.*
commode intellexisse spiritum christi, diuinam eius natu-
ram, verbum; siue filium dei, *filio hominis*, id est, cuius
mero homini, oppositum, animaduersionem censoriam in
Lutherum adhibet, quod iste vocem *blasphemiae* in sermo-
ne christi de peccato in spiritum sanctum, *Marc. III, 28.*
germanice reddiderit: *gotteslästerung*. Interpretationem
hanc ideo esse, putat, reprehendendam, quoniam voca-
bulum *blasphemiae* cum tam lata significandi vi coniunctum
sit, vt illud quamuis calumniam; non speciatim cenui-
cium, quod deo fiat, exprimat, atque ad sententiam suam
confirmandam addit: quod vero *Matth. XII, 31. vbi dicitur,*
omnem blasphemiam hominibus remitti, non sit intelligenda blas-
phemia in Deum, probatur exinde, quia christus sibi aduersare-
tur, subiungens blasphemiam in spiritum sanctum nunquam re-
mit-

*mittendam. Nam aut spiritus sanctus est maior deo et filio dei, quia blasphemia in deum et filium remittitur et non remittitur blasphemia in spiritum sanctum, quod absurdum; aut si spiritus sanctus idem est deus, quomodo remitti potest blasphemia in deum et filium et non remittitur blasphemia in spiritum sanctum?** Mirandum non est, SANDIVM censuram hanc suscepisse. Ferre ille non potuit, ut, quum de christo etiam sermo est, et de eo vox germanica *gotteslesterung* usurparetur isque deus esse, crederetur. Sed quam iniusta sit censura hæc: quam falsa eiusdem ratiocinatio, sine difficultate perspiciendum est. Vocem *blasphemiam* generatim calumniam cuiuscumque generis significare, non diffitemur; eam autem in oratione, qua christus de peccato in spiritum sanctum verba facit, de iniuria, deo facta, sumendam esse, ipsius sermonis luculentæ rationes ostendunt. Quod argumentatur, id satis ineptum ac, si non ignorantiam rerum sacrarum; peruersitatem tamen animi prodit. Ratio enim, cur venia peccati in patrem ac filium sit consequenda; minus contra peccati in spiritum sanctum, non in maiore ac minore dignitate personæ posita est; sed in officio, spiritus sancti proprio atque ita comparato, ut id ad homines vocandos, illuminandos, conuertendos spectet. Id quod si quis contemnit pertinaciter atque in malitia hac usque ad finem vitæ perseuerat, fieri non potest, ut is resipiscat ac christum fide amplectatur; fide autem quum caret, omnem spem gratiæ diuinæ, veniæ peccatorum, salutis sempiternæ ipsi ademptam esse, quis dubitet? Condicio igitur peccati in spiritum sanctum, non ipsius spiritus sancti, ut personæ, causa est, ob quam deus illud haud ignoscat; nec per sapientiam suam ac iustitiam sanctitatemque ignoscere queat. **

A 2

Referri

* *interpretation. paradox. quatuor euangeliorum p. 41.*

** *conf. GOTTFR. OLEARII observation. in euangel. Matth. p. 396.*

Referrī et huc potest BERNARDINVS OCHINVS, qui licet ab aliis in anabaptistarum; ab aliis in atheorum ordinem adscribatur; plerique tamen eum maiori iure Socinianis adnumerare videntur. * Composuit ille *dialogos*, qui primum italice: deinde, interprete SEBAST. CASTALIONE, latine sub inscriptione: *dialogi xxx. in duos libros diuisi, quorum primus est de messia continetque dialogos xviii. secundus est cum de rebus variis; tum potissimum de trinitate*, Basil. MDLXIII. 8. prodierunt. ** Præter alia, in iis OCHINVS de peccato in spiritum sanctum disseruit. *** Postquam diuersas patrum ecclesiæ opiniones de peccato hoc recensuit, verba apostoli *Ebr. VI, 4. sqq.* quæ ad idem peccatum spectant, ita interpretatus est: *qui collustrati fuerunt, non ita, vt viuam habuerint cognitionem; sed tantum ex audito externo sermone partam, donumque caeleste gustarunt, hoc est, christum leuiter manducarunt et primoribus labris gustarunt; sed non item deglutierunt vtque suum viua fide comprehenderunt; aut si deglutierunt, id humana et incoata fide factum est, ita, vt in eis radices non egerit, quippe citra humorem diuinæ beneficentiæ: præterea participes fuere sancti spiritus, hoc est, eius donorum; at viuæ fidei non item, eumque dei gustum habuerunt, qui parta fide comparari potest, hi, inquam, si christum relinquunt et insuper contemnendo traducunt, sicuti qui eum crucifixerunt, non iam possunt vita*

A 3

cor-

* videantur: CHRISTOPH. SANDIVS *bibliothec. antitrinitar.* p. 2. IO. HOORNBEECKIUS in *adparatu ad controuersas et disputationes socinianas*, eiusdem socinianismi confutati *tom. I.* præmisso, p. 47. RICHARD. SIMON in *histroir. critiqu. des principaux commentateurs du nouu. testam. cap. LV. p. 83.* SAM. FRIDER. LANTERBACHIVS in *ariano-socinismo olim in Polonia* p. 135. GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS *hisor. crypto-*

socinismi, altorfin. quondam academ. infesti p. 1162. adde BAELII *dictionair. historiqu. et critiqu.* voce: Ochin.

** legantur de *dialogis* his, qui inter libros rariores locum obtinuerunt: PLACCII *theatr. anonymor.* p. 184. *obseruation. halens. tom. V. p. I.* NICKONII *memoir. tom. XIX. p. 182.* SALLENGRE *memoires de litterature tom. I. p. 184.* VOGTII *catalog. libror. rarior.* p. 491.

*** *libro I. dialog. 18 p. 391.*

correctione instaurari, hoc est, reiectaneos esse se, ostendunt. Ex-
positio hæc longe discedit ab apostoli mente. Sermonem
is facit de hominibus, vere ac plene conuersis: vera ac per
consequentiam viua fide præditis: viua christi cognitione
instructis. Non obstat sententiæ huic verbum $\gamma\epsilon\upsilon\omicron\mu\omicron\upsilon$,
*quod quamuis apud scriptores interdum idem sit, ac *extre-**
**mis labiis gusto*; vsurpatur tamen quoque de plena rei per-*
*ceptione, vt dicendi forma $\gamma\epsilon\upsilon\epsilon\sigma\theta\alpha\iota$ *Sauite, mori, Matth.**
XVI, 28. Luc. IX. 27. Ioann. VIII, 52. Ebr. II. 9. probat,
illudque et in oraculo apostolico hanc significandi vim hæ-
bere, satis est luculentum. Differit enim de iis, qui
*illustrati sunt $\acute{\alpha}\pi\alpha\rho\chi\eta$, id est, *plene, perfecte, quemadmodum*
vox hæc eodem sensu adhibetur, Ebr. IX, 26. Iud. vers. 3. 5.
qui participes facti sunt spiritus sancti: qui non possunt
renouari ad poenitentiam. De ipso peccato in spiritum
*sanctum OCHINVS statuit, illud esse, quando quis *maledi-**
cat deo; aut christo; aut euangelicæ veritati, post veritatem
parta luce cognitam, idque ex animo; peccatum autem in
filium hominis fieri, si quis maledicat deo; aut christo;
**aut euangelicæ veritati ignoranter.* * Atvero definiendi ratio,*
quam sequitur, vitiola est. Aperte confundit peccatum
in deum christumque, filium hominis, cum peccato in
spiritum sanctum; quod vtrumque tamen seruator diserte
discernit. Sane, qui peccat in deum ac christum, is non-
dum peccat in spiritum sanctum eiusque officium, atque
omnino fieri potest, vt ad meliorem mentem redeat et
in pristinam dei gratiam restituatur. Omittit OCHINVS
principalem rei notionem, id nimirum, quod peccati in
spiritum sanctum proprium est: quod illud ab omnibus
aliarum noxarum generibus distinguit quoue continetur
caussa, cur id vnicum condonari nequeat. Positum ab eo
*discrimen inter conuicia, *ex animo* atque *ignoranter* talia,*
non sufficit ad id determinandum, quo essentia peccati in
*spiri-**

* R. 434.

spiritum sanctum absoluitur idque ab omni alio peccato distinguitur.

Inter fanaticos PETR. POIRETVS more suo opinionem de peccato in spiritum sanctum amplexus est, quæ a communi sententia penitus distat. Persuasit sibi, peccatum hoc frequentissime committi; nec dubitauit, scribere: *vere hodie peccata, contra spiritum sanctum facta, totum orbem christianorum vbique inundarunt. Non enim ignorant, quod vitam christi imitari debeant; et tamen, scientes et contra scientiam oblucentes, eumque neque imitantur; neque imitari volunt, quod certe, si proprie loqui velimus, est contra spiritum sanctum peccare.* * Aliis interpositis, præcipue de peccatis contra patrem ac filium, iterum audacter dixit, *totum hoc totius vniuersitatis spatium peccatis, contra spiritum sanctum factis, millies milliesque refertam esse.* ** Quodsi opinio hæc cuidam videatur paradoxa, cogitet is, Poiretum, quid vere sit peccatum in spiritum sanctum, ignorasse; aut ignorare voluisse, vt cupiditati suæ, nouas sententias disseminandi atque aliis refragandi, inseruiret. Id quod vt iam adducto eius effato colligendum est, homines peccare in spiritum sanctum, quando contra conscientiam imitationem christi negligant ac contemnant; ita idem confirmant, quæ de ipsa natura peccati huius adiunxit, verbis his: *peccatum in spiritum sanctum committitur, quando homo ad deum veritatemque, sibi perspectam, se conuertere non vult veritatemque cognitam recit; aut omittit.* *** Quæ vbi vera essent, POIRETVS non male iudicasset, plerosque mortalium contaminare se peccato in spiritum sanctum hocque esse frequentissimum. At quis non videat, eum, de recta via deflectendo, haud adsequutum esse, quæ christus de peccato hoc protulit? Quamuis enim is, qui peccat in spiritum sanctum, a christo

* *libr. III. oeconomiae diuinae cap. 9.*
§. 2. p. 704.

** *ibidem §. 7. p. 707.*
*** *ibidem §. 6. p. 706.*

sto imitando sit alienus; nec ad deum se conuertere veritatemque cognitam custodire velit; hæc tamen malitiæ documenta non ea sunt, quæ ad essentiam peccati in spiritum sanctum pertinent idque, veluti diuersum a peccatis in patrem et filium, constituunt. Resistere debet cognitæ doctrinæ euangelii ac contra conscientiam spiritus sancti officio ad finem vitæ tam contumaciter repugnare, vt numquam conueri queat, qui iure peccati in spiritum sanctum adculpandus est. Prætermisit hoc POIRETVS hæcque de causa rationem haud explicare potuit, ob quam peccati huius nulla venia sit impetranda, ac statuit, condonandum illud esse; non sine tamen difficultate.

Enarratis eorum sententiis de peccato in spiritum sanctum, qui a nostris sacris disiuncti sunt, venimus ad ecclesiæ nostræ theologos. Primus nominandus est MARTINVS LUTHERVS. Pronuntiat ille, peccatum in spiritum sanctum duplici modo fieri: altero, quando quis peccet, cognitione veritatis destitutus, ac quum propter ignorantiam haud perspiciat, se legem diuinam violasse, neque respiciat; neque veniam consequatur; altero autem, si quis dogmata vera sciat; attamen spiritui sancto aduerfetur ei que contumeliose maledicat. Postquam discrimen posuit peccatorum cognitorum atque incognitorum, ipse, quid sentiat, ita exprimit: *aus solchem vnterscheid kanst du nun selbst schliessen, daß die sünde wider den heiligen geist eine solche sünde seyn müsse, die sich nicht wil nennen lassen, auch nicht erkannt werden kan, vnd heisset nicht eine grobe welt sünde; sondern eine heilige geistliche sünde, darum, daß sie das bekänntnis vmmendet vnd nicht wil sünde beissen; sondern köstlich gute wercke, vnd wil nicht gestraffet; sondern gelobet vnd gerühmet seyn; item: aber die rechte sünde, dauon christus redet, ist noch viel gräulicher vnd eine rechte teufels sünde, wenn sie nicht mehr wissentlich; oder bekantt werden kan, das ist, wann sie gleich öffentlich vberweiset ist, dennoch nicht wil vberweiset seyn; noch sünde beif-*

beiffen. Vberius copiosiusque edisseruit hæc LVTHERVS, et vt eorum, quæ dixerat, summam exhiberet, in extremo orationis addidit: *so sey nun, daß wir beschließen, die sünde wider den heiligen geist zweyerley: einmal, vnwissend wider die wahrheit geredet vnd gethan, da niemand den heiligen geist aufdeckt; noch vnter augen stellet: dieselbige wird auch nicht vergeben, so lange sie vnbekannt bleibet; die andere aber ist die, so nun offenbar wird, daß iedermann die gnade vnd angebotene vergebung siehet; aber dennoch auf den platz tritt, wider den heiligen geist trotzet vnd die wahrheit, so niemand tadeln kan, schändet.* Inter peccatores in spiritum sanctum posterioris generis refert non solum pharisæos; sed etiam pontificios, vtpote qui contra apertam veritatem scientes ac volentes pugnant: in eadem maledicta conferant atque in detestanda peruersitate hac permaneant. * Dicta hæc a LVTHERO iis, quæ christus de peccato in spiritum sanctum protulit, non satis consentanea esse videntur. Sumit ille peccatum hoc latiore significatione, de eo, quum quis gratiæ di-

B

uinæ

* extrant hæc in eius oratione sacra, quæ inscripta: *von der sünde wider den heiligen geist ein sermon Martin Lutbers, Vitemberg. MDXXIX. 4* proliit atque iterum litteris descripta est, non solum eodem anno; sed etiam vna cum: *von christi brüdern vnd schwestern ein ander sermon, MDXXXIV. 4.* postea autem translata fuit in LVTHERI tomos, eosque ienenses IV. p. 473. vicembergenses IV. p. 543. alzenburgenses IV. p. 571. lipsiensis XIV. p. 670. halenses X. p. 1436. ac plerasque editiones voluminis concionum, quod titulum: *kirchenpostill*, præ se fert. Quæ sint ser-

monis huius argumenta, commemorant: ELIAS VEIELIVS in dem vnterrichte aus Lutheri scribten zusammen getragen, p. 130. et 10. HENRIC. MAIVS in Lutheri theologia pura ac sincera p. 480. Agit quoque LVTHERVS de peccato in spiritum sanctum adnotationibus in cap. XII. Matthei, tom. IV. oper. latinor. ienens. p. 330. ac tom. V. vitemberg. p. 38. adde: TIMOTH. KIRCHNERI deutschen thesaurum des theuren mannes, D. Lutbers, p. 98. eiusdem: thesaurum explicationum omnium articulorum ex Lutheri operibus, p. 239.

uinæ hocque nomine etiam spiritui sancto obſiſtat; nec ad deum ſe conuertat; chriſtus autem loquitur de vni-
co tantum peccato, cuius ea ſit ratio, vt, tamquam ſin-
gularis ſpecies, ab omnibus aliis peccatis differat: per-
petuo ſtudio, ſpiritui ſancto reſiſtendi, abſoluatur atque
impediat, quominus reſipiſcentia conuerſioque fieri, ſi-
desque in chriſtum excitari queat; hoc autem nomine
ſpem veniæ penitus tollat. Quæ PHILIPPVS ME-
LANCHTHON de peccato hoc litteris mandauit, ea ni-
mis ſunt generalia; nec ſufficiunt ad explicandum in-
telligendumque, qualis ſit vera ac propria eius natura.
Exponit de blaſphemiis hasque fieri, putat, *quum homi-
nes ſcientes et volentes agnitam veritatem damnant et perſe-
quuntur, vt pertinaces epicuræi; item pertinaces idololatræ,
vt nunc papifæ.* Proſiſtis his, adiungit quæſtionem:
quare peccatum in ſpiritum ſanctum non remittatur? atque
ad eam reſpondet: *ſic dicit, chriſtus, et verum eſſe, non
dubitemus. Sententia dei iam lata eſt ſuper omnes blaſphe-
mos. Interea tamen nos debemus omnibus prædicare poenit-
tentiam, et ſi qui conuertuntur; hi tamen non fuerunt blaſ-
phemi contra conſcientiam; ſed vel ex ignorantia; vel ex in-
firmitate peccauerunt. Sic chriſtus et apoſtoli prædicant iu-
dæis, quorum multi perſequebantur euangelium; ſed errore;
vel infirmitate, qui poſtea conuertebantur; multi autem, aper-
te blaſphemi, non conuertebantur.** Reſponſio hæc mi-
nus adcurate apteque data eſt. Quum enim chriſtus
absolute negat, deum iis ignoſcere, qui peccant in ſpi-
ritum ſanctum, MELANCHTHON ipſam peccati huius na-
turam definire atque ex iſta cauſſam oſtendere debuiffet,
cur illud neſtquam ſit condonandum. Idem dicen-
dum eſt de IO. BRENTII ſententia. Putat ille, pecca-
tum hoc eſſe *tam manifeſtam iniquitatem, vt nullam pror-
ſus*

* *Breuiſ. commentar. in Mattheum, part. III. operum eius p. 465.*

*ſus nec coram deo; nec coram hominibus habeat excuſationem, quumque verba chriſti, maledictum in ſpiritum ſanctum neque in hoc; neque in futuro ſeculo, ignoſci, de excuſatione, a deo hominibusque minime exſpectanda, interpretatur, ſtatuit ſimul, qui in ſpiritum ſanctum peccauerit, illum ad deum ſe conuertere eiusque gratiam recuperare poſſe, vtque opinionem ſuam exemplis illuſtret, Dauidem, Petrum, Auguſtinum adducit. * Minus ita BRENTIVS de peccato hoc enuntiat; quam res ipſa requirit. Peccatum, per malitiam commiſſum, terminis amplioribus circumſcriptum eſt; quam peccatum in ſpiritum ſanctum. Quamuis enim nemo peccet in ſpiritum ſanctum, niſi animi malitia impulſus; tamen non de omnibus, qui malitioſe contra legem diuinam agunt, pronuntiandum eſt, eos culpa teneri peccati in ſpiritum ſanctum. Nec ſane ſeruatoris effatum de peccato hoc: *ἐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ ἕτε ἐν τῷ τῷ αἰῶνι, ἕτε τῷ μέλλοντι*, ſumere licet de excuſatione, quæ neque apud deum; neque apud homines locum habeat, niſi a propria verborum ſignificatione longe diſcedere eaque ad ſententiam, a mente chriſti alienam, trahere velimus. ***

Maius ſtudioſum poſtea theologi noſtri ad dogma de peccato in ſpiritum ſanctum contulerunt atque operam ſuam in eo collocarunt, vt, quale ſit peccatum hoc, explicarent ac monſtrarent, quam propriam naturam id habeat: quid diſtinguat illud ab omnibus aliis noxarum generibus: quomodo illud haud ignoſcatur: quæ ſit

B 2

cauſſa

* *commentar. in Matth. XII. tom. v. eiusdem operum p. 278. ſq. ac homilia CV. in euangelium Luca, quæ itidem habetur tomo v. operum illius p. 1094.*

** *conf. IO. GERHARDI diſputation. iſagogicas p. 939. IO. AFELMANNI ſyntagma exercitationum academicar. part. I. p. 476.*

caussa veniæ, nunquam impetranda. Omnia hæc sedulo indagarunt, scripturam sacram, veluti ducem, accurate sequuti, atque in negotio hoc expediendo tam feliciter versati sunt, vt doctrinam de peccato in spiritum sanctum vere ac distincte traderent. De re ipsa; siue quæstione principali: quid sit peccatum in spiritum sanctum? plerique inter se consentiunt. Communis eorum sententia est, peccatum hoc fieri contra spiritus sancti officium atque in eo consistere, vt *quis veritatem diuinam, præcipue euangelicam, postquam eam cognouerit atque in conscientia adprobauerit, non solum malitiose neget; verum etiam hostiliter impugnet: detestandis maledictis insectetur atque in contemptu hoc omnium mediocrum salutis vsque ad vitæ finem perseueret.* Ad essentiam peccati huius quia requirunt, vt malitia sit perpetua homoque per omnem vitam spiritui sancto eiusque ministerio resistat, porro recte docent, rationem, cur illud haud condonari possit, non in voluntate dei ac decreto quodam eius: non in parciore gratia diuina; aut merito christi, ad quædam tantum peccata restricto: non in conditione hominis, qua is poenitentia fideque in seruatorem caret; aut facultate, gratiam dei merendi, destitutus est; sed in ipsa natura peccati huius; siue in finali impoenitentia, cum isto ex necessitate essentiali coniuncta, positam esse. Ita nostrates argumentum hoc explanarunt deque eo vberius commentati sunt in scriptis suis, quorum magnus est numerus. Nonnulli exposuerunt illud oblata occasione, cum in systematibus theologicis; tum aliis libris: AEGIDIUS HVNNIVS, * LEON. HVTTERVS, ** IO.

GER-

* in articulo de peccato, ex scriptura sacra fundamentis exstructo, opera eius latina edito, tom. i. p. 465. 470.
 primum separatim: deinde inter ** loc. communib. theol. p. 366.

GERHARDVS, * IO. HVLSEMANNVS, ** CASPAR ERASM. BROCHMANDVS, *** IO. CONRAD. DANNHAVERVS, * IO. ADAM. SCHERZERVS, ** GVIL. LYSERVS, *** IO. ADAMVS OSIANDER, * IO. ANDR. QVENSTEDTIVS, ** DAVID. HOLLAZIVS, *** IOACH. IVST. BREITHAVPTVS, * IO. FRANZ. BVDDEVS ** atque alii, quos consulto prætermittimus. Cum illis coniungimus eos, qui quum in monumentis exegeticis oracula diuina de peccato in spiritum sanctum interpretati sunt, simul de ipso peccato hoc exposuerunt, ac, qualis illius natura sit, monstrarunt. Ex horum ordine adduxisse, sufficiat: POLYCARPVM LYSERVM, *** IO. GEORGIVM DORSCHEVVM, * SEBASTIAN. SCHMIDIVM, ** GOTTFRID. OLEARIVM. *** Omnes hi; ac, præter hos, multi alii sacrorum nostrorum doctores eo modo, quem antea significauimus, de peccato in spiritum sanctum statuerunt. Nec satis esse, putarunt, si data tantum occasione argumentum hoc persequerentur, hocque nomine fuerunt quoque, qui maiorem industriam ad illud illustrandum adhiberent ac singulares dissertationes commentationesque de eo iuris facerent publici.

B 3

La-

- * *loc. de peccatis actualibus* §. 109.
 et *disputationib. isagogic.* p. 940.
 ** *extensio. breuiarii theologic.* p. 98.
 et *prælectionib. in librum concord.*
 p. 377.
 *** *systemat. theolog. articul. XI.*
cap. §. quest. 10. sqq. tom. I. p. 198.
 * *hodosoph. christian.* p. 709. ac *col-*
leg. decalogico p. 359.
 ** *systemat. theolog. loc. VII. p. 162.*
 et *breuiar. theologic. hulfemannian. cap.*
V. p. 302.
 *** *systemat. thetico-exegetico* p. 681.
 * *systemat. theologic. exercitacion.*
 LIV. part. II. p. 289.
 ** *systemat. theolog. part. II. cap.*
 2. *sect. I. p. 951.*
 *** *exam. theologic. acroamatic.*
part. II. cap. 4. p. 556.
 * *institutionum theologicar. tom. I.*
 p. 317.
 ** *institution. theol. dogmatic. libr.*
 III. *cap. 2. §. 34. p. 841.*
 *** *harmon. euangel. cap. LIX. tom.*
 I. p. 612.
 * *commentar. in epistol. ad Ebræos*
 p. 261.
 ** *commentar. in epistol. ad Ebræos*
 p. 608. 1096.
 *** *obseruationib. in euangel. Matth.*
 p. 394.

Laborem eiusmodi susceperunt: BALTHAS. MEISNERVS, *
 LVSTVS FEVRBORNIVS, ** IO. AFFELMANNVS, *** IO. MEIS-
 NERS, * GEORG. CALIXTVS, ** IO. MVSAEVS, *** IO.
 ERN. GERHARDVS, * IO. ADAM. SCHERZERVS, ** MICHAEL
 FOERTSCHIVS, *** IO. FRIDERICVS COTTA, * EBERHARD.
 DAVID HAYBERVS, ** IO. LVDOVIC. MANSO. *** De reli-
 quis tacemus. *

Iam memorati theologi eadem sentiunt de formali ra-
 tione, vti in scholis loquimur, peccati in spiritum san-
 ctum deque eo, quod cum illo coniunctum est. Atta-
 men inter se distant de quæstionibus quibusdam, minus
 principalibus. Dissentiunt de testimoniis, quæ de pec-
 cato

* disputatione de peccato in spiri-
 tum sanctum, quæ est in eius anthro-
 pologia sacra.

** cuius exstant tres dissertationes
 de peccato in spiritum sanctum, RA-
 PHAEL. EGLINI, theologi mar-
 purgenſis, adſertioni doctrine ortho-
 doxæ de peccato in spiritum sanctum,
 oppositæ ac legendæ tom. VII. di-
 ſputation. theologicar. gieſſenſ. p. 303.
 Præter istas, exiit FEVRBORNII
 copioſior diſputatio de peccato in spi-
 ritum sanctum irremiſſibili, cum ſepara-
 tim Gieſſ. MDCXIX. MDCLXI. 8.
 tum coniunctum cum aliis eius ſcri-
 ptis in eiusdem operib. theolog. p. 1827.

*** disputatione de peccato in spi-
 ritum sanctum, in eius ſyntagmat ex-
 ercitation. theologicar. part. I. p. 470.

* in tractat. theolog. de peccato in
 spiritum sanctum.

** diſſertatione de peccato in ſpiri-
 tum sanctum, quæ locum habet in
 eius tractatibus diuerſis de peccato
 p. 237.

*** disputatione de peccato in spi-
 ritum sanctum.

* qui itidem diſputauit de irremiſ-
 ſibili peccato in spiritum sanctum.

** cuius commentatio de peccato
 in spiritum sanctum habetur in eius
 faſciculo diſſertationum theologicarum.

*** in conſideratione hiſtorico-theo-
 logica τῆ ἀπορχωγήτῃ in peccato ad-
 uerſus spiritum sanctum.

* diſſertatione de peccato in ſpiri-
 tum sanctum irremiſſibili.

** in den betræchtungen vber die
 vnuergebliche ſünde; oder die leſterung
 wider den heiligen geiſt.

*** in der ſchweren ſünde wider
 den heiligen geiſt.

* adde: DEVTSCHMANNI, MAY-
 ERI, BAVMGARTENII diſſertatio-
 nes de peccato in spiritum sanctum,
 vna cum OBBARII erörterung der
 frage: ob die phariſeer, als ſie den
 heiligen geiſt leſerten, würrklich von
 der wahrheit der lehren ieſu überzeuget
 geweſen.

cato hoc in scriptura sacra habeantur. Merito existimatur, ea principem locum omni iure tueri, quæ ipse christus *Matth. XII, 31. 32. Marc. III, 28. 29. Luc. XII, 10.* ediderit, non vno; sed diuerso tempore: non semel; sed iterum iterumque. In illis seruator expresse mentionem facit peccati in spiritum sanctum atque de isto ita differit, vt haud obscure pateat, quid illud sit: quæ eius sint nota curque peccatum hoc haberi debeat plane singulare. Aliter de effatis his christi iudicat SIGISMVND. IACOB. BAUMGARTENIVS * ac statuit, ex istis non tam conditionem; quam, vt dicitur, irremissibilitatem peccati huius perspicue probandam esse; dictum autem principale de istius natura haberi *Ebr. VI, 4. 5. 6.* Recte illud de peccato in spiritum sanctum explicatur recteque vna cum iis, quæ in eadem *epistola X, 26.* scripta sunt, a theologis, antea laudatis, inter testimonia de peccato hoc refertur; id autem maiorem, effatis christi, lucem præbere ad intelligendum, quam re peccatum in spiritum sanctum absoluat, nemo facile sibi persuadebit, vbi cuncta adcurate riteque velit expendere. Apostolus non expressis verbis, vt christus, meminit peccati in spiritum sanctum: loquitur tantum de iis, qui postquam beneficiorum, per christum partorum, atque ipsius spiritus sancti participes facti fuerint: immo iam in hac vita cælestem felicitatem gustarint, a deo deficiant huiusque filium sibi iterum in crucem tollant, per consequentiam de certo eorum genere, qui peccatum in spiritum sanctum committunt, ac quando addit, esse *ἀδύνατον*, homines *πάλιν ἀνακαινίσκειν εἰς μετάνοιαν*, verba hæc non tam luculenter monstrant, peccatum hoc non condonandum esse, ac christi: *ἐν ἀφεδίσειται*. Plerique adiungunt, quæ de peccato ad mortem, pro quo non orandum sit,

* dissertatione de peccato in spiritum sanctum p. 2.

fit, i *Ioann. V*, 16. exstant, atque de peccato in spiritum sanctum exponunt; causæ, tamen fuerunt, non contemnendæ, cur interpretatio hæc non omnibus ecclesiæ nostræ theologis, antea adductis, se commendaret, quemadmodum in prima harum commentationum pluribus dictum est.

Enarrandi hæc, festum tempus, in coetibus nostris pie religioseque peragendum, occasionem præbuit: tempus illud lætum, quo oracula diuina de spiritus sancti illustribus muneribus, super seruatoris legatos largiter effusis, adnuntiantur. Vos igitur, carissimi CIVES, hortamur, vt sapienter vobis consulatis seduloque omnia curetis, quæ ad stabilem animarum vestrarum salutem: ad cælestem illam felicitatem pertineant: vt eam in rem templa obeatis: verbum dei, attente auditum, in vestra demittatis pectora, vtque etiam erga eos, qui interpretes sunt voluntatis diuinæ, liberalem declaretis animum. P. P. primo pentecostes die anni salutaris reparatæ MDCCLVIII.



pulveremque
um, perexigu-
os. Virique
m in errorem
rga fratres et
consentiant,
um est, &
cruciat homi-
omni genere
ui sine pecca-
disputat, per
u hominis in-
bus & cer-
fallere nos a-
t tot volumi-
averit? Re-
nobis remoti
ac tempera-
bellare nos
rissime, dili-
gratuloz fe-
os esse ex il-
in patriam
ntia & indi-
dum inter
m, morum
, nec abfen-
emits virtu-
& laboribus
ficandi lae-
e institutio-
l. Iulid.



00 A 6359

ULB Halle
002 916 746

3



VD 18

W 17

Retrow







56

B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

CCATVM
IN
VVM SANCTVM

AD
PENTECOSTES
IE CELEBRANDA
ACADEMIA IENENSI
PROPOSITA
MMENTATIO
OCTAVA.

LITTERIS STRAVSSIANIS

